

1986-05-26 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quanto Obsequio’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUANTO OBSEQUIO

**MARIA VIRGO AB OMNI PECCATI LABE EXPERS CONFIRMATUR
GUINEAE AEQUATORIALIS PATRONA APUD DEUM**

Ad perpetuam rei memoriam. – Quanto obsequio quantaque veneratione Mariam prosequamur Christi Matrem Ecclesiaeque universae Reginam, iam ex omni Nostra tum vita tum loquendi agendique ratione patet: nihil enim agimus ex quo non etiam cum Dei Christique laude beatissimae Matris eius, floris camporum stellaeque lucidae caeli, spectemus honorem, cum sit clementissima illa Mater fons gratia profluens, atque exemplum filii egregium virtutis. Qua re, cum Venerabilis Prater Raphael M. Nze Abuy, Archiepiscopus Malaboensis idemque Conferentiae Episcoporum Guineae Aequatorialis Praeses, Nobis preces admoverit, ut electionem B. M. V. Immaculatae in Patronam Guineae Aequatorialis, quam populus fecisset, ipse vero ceterique totius nationis Episcopi probavissent, ad normam Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30, confirmaremus; Nos, considerato ornonia acta fuisse ad iuris praescripta, bene fieri censuimus, si optatis tum sacrorum Praesulum, tum fidelium concederemus. Haec cum ita sint, iis probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino hac de re censuerit factis olim a Nobis facultatibus, sive electionem sive probationem confirmamus Beatae Mariae Virginis sub titulo Immaculatae Conceptionis in Patronam totius nationis Guineae Aequatorialis cum iuribus atque privilegiis debitibus, certa spe fore ut non solum pietas populi illius amatissimi gliscat in pectoribus erga Matrem tam sanctam, sed etiam ut Illa e caelo filiis assit, a periculis prohibeat, iter illorum ad inmortalem patriam benevolia muniatur: nullus enim umquam peribit, si Matrem tantam dilexerit, respexerit Illa. Contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Maii, anno MDCCCCLXXXVI,
Pontificatus Nostri octavo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*